

Bibliothèque numérique

medic@

**Oppermann, Johannes Christophorus
Ulricus. - Dissertatio medica
inauguralis de hemicrania horologica**

1747.

***Halle Magdeburg : typ. J. C.
Hilligeri***



(c) Bibliothèque interuniversitaire de médecine (Paris)
Adresse permanente : <http://www.bium.univ-paris5.fr/hist/med/medica/cote?91009x11x19>

19

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HEMICRANIA HOROLOGICA

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ATQVE ILLVSTRIS ORDINIS
MEDICI AVCTORITATE ET CONSENSV

MODERATORE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE
PVBL. ORD. ORPHANOTROPH. HALENSIS ET PAEDA-
GOGII REGII PRACTICO DEXTERRIMO

DN. PATRONO AC PRAECEPTORE SVO AETA-
TEM DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE CAPESSENDIS

AD D. IVN. A. S. R. MDCCXLVII.
H. L. Q. C.

PVBlico ATQVE AEQVO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET DEFENSOR

IOANNES CHRISTOPH. VLRICVS OPPERMANN
RATISBONENSIS.

HALE MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI Acad. TYPOGR.

LIBERAE ET AVGVSTAE
S. R. I. REIPVBLICAE RATISBONENSIS
SENATVI INCLVTO
VIRIS
ILLVSTTRIBVS, MAGNIFICIS, PRAESTRENVIS, PRAE-
NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC PRVDEN-
TISSIMIS DOMINIS,
DOMINO
CAMERARIO
CONSVLIBVS
AC
SENATORIBVS
PATRIAE PATRIBVS BENIGNISSIMIS
DOMINIS SVIS
PATRONIS AC MAECENATIBVS
OMNI HONORIS ET OBSEQVI CVLTV
PROSEQVENDIS
*MEDICAM HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DEMISSE AC DEVOTO ANIMO*
DAT, DICAT, CONSECRAT
IOANNES CHRISTOPHOR. VLRICVS OPPERMANN.

LIBRAE ET AVGVSTAE
 S. R. I. REIPVBLICAE RATISBONENSIS
 SENATV INCVLTIO
 VIRIS
 ALLVSTRIBV MAGNIFICIS, PRAESTRANVIS, PRAE
 NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC PVDEN
 TISSIMIS DOMINIS
 DOMINIS
 CAMERARIO
 CONSVLIVS
 SENATORIVS
 PATRIAE PATRIBVS BENIGNISSIMIS
 DOMINIS SVIS
 PATRONIS AC MAECENATIBVS
 OMNI HONORIS ET ORNAMENTI CVLTV
 PROSPERIS
 MEDICAM HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
 DEMISSO AC DEVOTO ANIMO
 DAT, DICAT, CONSERT
 IOANNES CHRISTOPHOR. VERICVS OPERARIIVS



PROLOGVS.



Inter morbos, qui magno agmine varioque modo corpori humano infesti sunt, magnam intercedere differentiam, vel eorum, qui artem salutarem profiteri modo instituerunt, fugere potest neminem. Et quum illa per technicam, eamque arbitrariam divisionem, a morborum caussis, subiectis, motuum gradu aliisque rationibus desumptam, efficiatur; facile dispalescit, eandem, id quod etiam a vetustis inde medicinae professoribus ita fieri consuevit, multifariam posse dispesci. Ego vero in praesentia litem non aestimabo, quænam in constituendis morborum differentiis legitima sit & accuratior doctrina, sed salvo hac in re omnium arbitrio & consilio hoc saltem innuo, illam non sterilem & a rebus practicis plane alienam, si modo rite instituitur, esse materiam, id quod non facile negabit, qui tota cogitatione perpendit *y. gr. morbum ipsum & eius symptomata tam activa, quam passiva; morbos atatum;*

hereditarios; simplices & compositos; genuinos & corruptos; essentielles & accessorios; recentes & habituales, inveteratos chronicos & id genus alios. Etenim exquisita morborum differentia medico admodum scitu est necessarii quippe eius genuina cognitio eundem & in prognosi ~~anq̄ibus~~ formanda, & in curatione ~~evacuatis ac vomitus~~ instituenda multum adiuvaré deprehenditur. *Conf. illustr. MODERAT. Consp. Pathol. Tab. II. de differentiis morborum.* Atque eam ob causam auctores non in systematibus solum huic rei expediendæ suam navarunt operam, verum ob insignem & multiplicem usum peculiaribus quoque proposuerunt dissertationibus; id quod, nisi eum, qui, quid in historia medica adhuc gestum sit, ignorat iuxta eum ignarissimis, fugere potest neminem. Profecto de hac ipsa re eximii labores *Illustr. MODERAT. Illustr. ALBERTI, B. STAHLII, HOFFMANNI, SCHELLHAMMERI* aliorumque, quorum rationem ac censum accuratius inire iam non vacat, clarissime testantur. A fine proposito etiam longius aberrarem, si vel omnes morborum differentias ordine hic recensere vellem; sufficit eius tantum peculiarem iniecissem mentionem, quæ ad materiam præsentem, de qua agere animum induxi, omnino aliquid facere videtur. Dantur nimirum morbi, qui stato ac definito tempore, v. gr. certo mense circa lunæ mutationes, certa hebdomade, die vel etiam hora ~~anq̄ibus~~ determinata redeunt, & ut artis vocabulo, hæc omnia complectente, exprimam, qui certas servant *periodos*, unde etiam vocari solent morbi seu affectus *periodici*. Quid enim *periodus*, vocabulum e Græcia quidem profectum, sed civitate etiam latina donatum, vel nuda sui significatione velit, scilicet eiusmodi spatium, ambi-

ambitum temporis seu circuitum, quo aliquid ita peragitur, vt res ipsa transacta & temporis intercurrentis quantitas a reliquis omnibus, tam antecedentibus, quam consequentibus probe se distinguant, cum satis notum esse, tum nec prolixa egere interpretatione arbitror. Quemadmodum autem *periodorum* indoles, generatim considerata, in *statu secundum naturam* ignota non est, e. gr. in *natiuitate, dentitione, pubertate, cessante corporis augmento* in longum, laxum & solidum, *generandi euegyria, hæmorrhoidum fluxu* in viris, *menstruo* in sexu sequiori, *partu, lactis perruptione* in puerperis cet. Ita etiam in *historia pathologico-practico-clinica* non insolens observatur, imo vero proventus eiusdem in illa occurrit longe locupletissimus. Sic enim per experientiam in hoc *statu præter naturam* ignotum esse non potest, dari interdum *narium hæmorrhagias & hæmoptyses periodicas*, imo *vomitus cruentos* intra *certum* temporis *spatium* revertentes, cum primis in feminis, quæ mensium suppressione laborant; occurrunt quoque ex mensium defectu *motus convulsivi periodici*; ita sæpe etiam sanguinis hæmorrhoidalis & menstrui interceptionem sequuntur *tusses, cardialgia, asthmata, catarrhi suffocativi* cet. *periodice* recurrentes. Eveniunt etiam *periodice congestiones erysipelatodes, phlegmonodes, rheumatica, ophthalmica, odontalgica*. Sic observamus aliquid *periodici* interdum in *abortu, deliriis*, in affectibus *paralytodeis, hemiplecticideis*: nec deest *periodica* observatio in *dispositione hereditaria*, vbi e. gr. liberi id ætatis facti, quo parens hoc vel illo affectu laborans ipsos genuit, nanciscuntur eundem; & quid non observamus *periodici* in *ætatum morbis*. Vid. B. STAHLII *dissert. de morborum ætatum fundamentis*.
Maxime

Maxime autem, directe & veluti absolute *periodos* servare solent *motus spasmodici*, affectus *spastico-artbritici*, præsertim *fixiores* extremitatum, *chiragrici*, *gonagrici*, *podagrici*. Et hic non vltimum obtinet locum *hemicrania*, id quod passim auctores memoriae prodiderunt, vid. *A. N. C. Dec. I. a. 1. obs. 51. it. Dec. III. a. 5. 6. append. obs. 137. tertianam habent* Bresl. Gesch. Vers. 24. pag. 454. *singulis diebus paroxyzantem* *A. N. C. Dec. II. a. 9. obs. 141.* Ego vero *hemicraniam* observavi dies noctesque *τας ωρας μετρουσην*, hoc est, quavis horæ parte quarta redeuntem & per eandem quoque durantem, quam ideo in dissertationis inscriptione dixi *horologicam*. Frequentius quidem in praxi clinica se offerunt tales morbi, qui re vera statum quoddam ac determinatum circuitus tempus exhibent, in progressu autem facili negotio ordinem ac mensuram inuertunt, hoc est, stato quidem tempore revertuntur & periodum comparate talem servant, sed non eandem decursus rationem, vti prius aut sæpius exhibent, sed cum duratione, tum aliis circumstantiis longe aliter se gerere solent. Occurrunt vero etiam ejusmodi interdum affectus, in quibus prorsus omnia ad vnum in omnibus exquisitissime conspirant, seu, vt explicatius dicam, quod sentio, qui certo atque ad amissim determinato revertuntur tempore, eundem *κατ' ακριβειαν* semper servant ordinem, plane perfecteque eundem exhibent progressum, accuratissimamque temporis articulo respondentem, symmetriam sibi retinent ac durationem. Et ad hanc vltimam classem præsens affectus, qui hic HALAE ad meam notitiam & curationem pervenit, omnino est referendus; quum vero ejusmodi casus majorem & circumspectiorem considerationem

nem mereatur & theoreticam, quia in vulgari theoria minus digne enodatur, & practicam, quia multi talium affectuum *επεργεια* non pervidentes præpostera curatione morbo atque ægro pessime consulunt; nullus dubito, quin materiam pro *thematè auspicali* elegerim talem, quæ in conando meæ qualiscunque operæ fructum præ se fert non contemnendum. Varia enim ac certa nosse remedia huic vel illi morbo adhibenda feliciter in medicina facienda versaturo plane non sufficit, sed hæc saniori theoriæ, tamquam suo ædificium fundamento, est superstruenda. Pulcre hinc BAGLIVUS „ *theoria*, inquit, munus est, rationem reddere phænomenorum in morbis occurrentium, antecedentia cum præsentibus, recte comparare, occultas morborum causas & veros, causarum fontes investigare, aliaque id genus explanare, vt medicus in determinandis indicationibus, apertius, nec empiricorum more, progrediatur: *præxios* vero, morborum historiam absolvere, de adhibendis remediis explendisque indicationibus iudicare, & graviora quæque, curationem morborum spectantia, per experientiæ leges examinare. „ Totam igitur rem *hemicrania* huius *horologica*, quantum explorare ex ipsa ægrota licuit, primum historice declarabo, medicam deinde tam pathologicam, quam therapeuticam subiuncturus considerationem.

B HISTO-

HISTORIA MORBI.

Vxor quaedam vilioris fortis, quintum & tricesimum ætatis annum agens, temperamento melancholico-cholerico prædita, hemicrania, quaque cuiusvis horæ parte quarta non interdiu solum, sed noctu etiam redeunte, adeoque somnum interrumpente, atque brevissima circumscripta *periodo* seu *horologica*, iam per sex abhinc integros annos, excepto graviditatis tempore, laboravit. Ut vero omnia *γυμνα* & quasi *τετραχλιδιμνα* lectori beneuolo subiiciantur, tota res altius & ab originibus causisque primis videtur repetenda. Primo igitur statim ætatis anno nacta est variolas satis copiosas, a quibus non solum multas atque insignes relictas in facie habet foveas, sed etiam, quia oculi graviter erant affecti, sub illis oculi finistri talem læsionem accepit, quæ visum in eo prorsus abolevit. Non ita multo post variolas, ut fieri solet, sæpius ad annum decimum quintum achoribus & crusta lactea inficiebatur; quæ excrescentiæ autem toties, quoties in conspectum veniebant, per vnguina aliaque incongrua topica, tamquam pessima vulgi consuetudine, semper ad tempus retro pellebantur. Interim per hos annos crebriores, easque interdum largas, habuit narium hæmorrhagias; verum illis parentum pessime sedula sollicitudine partim contigit idem, quod repellendo crustæ lacteæ, partim vero interdum sponte cessarunt. In utriusque excretionis, siue retropulsæ siue ex aliis causis sponte cessantis, locum alii subinde motus naturæ antipræctici, eluctatori & vicarii, insignes nimirum dolores colici, octavo quoque die ad viginti quatuor horarum spatium periodice redeuntes inaugurabantur, quos biliosæ cuiusdam materiæ vomitus cum grauissimis cephalalgico-odontalgicis doloribus itidem excipiebant. Et hæc symptomata ad annum decimum octavum summa cum vehementia continuarunt, vbi autem eodem adhuc anno sanguinem & per venæ sectionem & scarificationem mittere primum instituerat, mensis spatium post catameniorum quidem fluxus, licet præviis trium dierum doloribus in dorso, emicuit, omnia vero antea memorata symptomata, tametsi catamenia ad annum vicesimum quintum, si a præviis ante

ante quodvis eruptionis tempus doloribus in dorso discesseris, legitimum servarint modum & ordinem, non cessarunt; ea tamen, qua ante mensium fluxum solebant, vehementia, frequentia & perpetuitate non saeviebant. Venæ sectionis quidem per hos annos adhuc saepius erat observans, sed tamen promiscue & sine ulla temporis habita ratione, scarificationis autem plane negligens. Anno ætatis vicesimo quinto post initum ante decem menses matrimonium grauida est facta, id quod ipsa tamen adhuc ignorabat, ideo, quia menses cessabant, ad illos revocandos sanguinem misit, quatuor autem hebdomadum intervallo post venæ sectionem præter opinionem fecit abortum. Quo facto utroque a fluxu abortivo bene repurgato, catamenia proximo mense, prævio, uti semper, dorsi dolore spastico, tempore quidem statim, sed larga quantitate profuebant; sensim autem ac pededentim in ordinem redibant, & ita postea, coniunctis tamen spasticis ante profluvium dorsi dentiumque doloribus, ad annum vicesimum septimum perrexerunt. Ad matrimonium quod attinet, hoc silentio prætereundum non est, illud tantum non semper a genuina coniunctione concordiaque vacuum, contra contentionibus, iurgiis & rixis esse plenum. Hisce duobus modo dictis annis cum scarificatione venæ sectionem plane negligebat; nacta vero est aliquanto post febrem catarrhalem malignam, quæ schema lentescens induendo ad septem perduravit hebdomades; vix ab ea liberata, scilicet mensis spatio, & quod excutrit, interiecto, præ terrore obfuscatum in vicinia incendium, & facta simul, dum saltu sibi consultura in lacunam admodum gelidam ad humeros vsque inciderat, insigni refrigeratione, octo hebdomades cum febre quartana conflictata est, quæ tamen propter promiscua, varia & incongrua medicamenta non iustum servabat typum, imo vero postea per chinam suppressa reliquit ad semestre spatium, artuum torporem, somnum inquietum, ita, ut die olim febrili virumque hoc symptoma ingravesceret, male quidem etiam appetebat, hoc vitium vero non ita multo post crebrioribus vsa essentiis stomachicis correxit. Quemadmodum a iuventute capitis & dentium doloribus, propter horum cariam, tantum non semper, excepta scilicet graviditate cum febribus, magis in sinistro, quam

dextro latere corripiebatur; ita post febrem quartanam vsque in annum vicesimum nonum illis afficiebatur longe gravissime, adhibitis autem multis topicis remediis, iisque adstringentibus accidit, ut hoc ipso anno illam insignis hemicrania quatuor hebdomades quavis horæ incipientis parte prima mirum in modum exerceret. Effluxis hinc quatuor hebdomadibus dolores sævire desierunt ad annum dimidium, in eorum locum autem sufficiebatur coryza tantisper, dum hemicrania cum odontalgia ad tantumdem temporis spatium, uti antea, revertit. Quo facto, quærebat quidem in venæ sectione & scarificatione, quas sub paroxysmo, exiguo interiecto invicem spatium, vel genis imposta cucurbitula, adhibuit, salutem; sed tantum abfuit, ut vera consequeretur spes salutis, ut potius hemicrania loco anni dimidii decem & quatuor tantum dies paullisper remittens postea fieret multo insolentior. Seposita deinde licet scarificatione tumultuariæ tamen venæ sectioni ad annum tricesimum primum se addixit, quo iterum gravida facta est. Sub graviditate quidem cessarunt dolores hemicranico-odontalgici; at vero, licet præservationis gratia sub eiusdem finem miserit sanguinem, tamen foetu excluso hemicrania rediit, & non solum per lactationem, anno amplius extensam, sed adhuc dum, adeoque per tres integros annos, die nocteque per partem horæ cuiusvis incipientis primam accuratissime scenam suam ludit, adeo, ut, si tempus, id quod sæpius non sine admiratione feci, ad horologium minus & portatile, diligenter examinaverim, semper, ab initio ad finem, definitam & secundum mensuram perfecte restrictam durationem, exactam ingressus, successus, progressus atque exitus deprehendi symmetriam vereque horologicam, h. e. quæ plenam & perfectam dicebat atque indicabat horam; id quod ipsa, si horologia publica machinalia subinde aberrarent, aut nimis cito aut sero audirentur, accuratissime ad horologium suum cephalicum potest determinare. Ceterum menses inde ab anno vicesimo quinto, si a graviditate discesseris, semper, etiam sub febribus, suum fluxum, præviis tamen dorfi doloribus, legitime seruarunt. Ianuario mense præterito sanguinem per venam misit, Februario autem scarificationem adiecit, quum vero aliorum aliarumque suavis & auctoritate capitis vertici cucurbitam imponendam

dam curauerat, hemicrania exinde etiam atque etiam vehementer ingrauescebat. Quae dum ita gesta sunt, meae curationi traditur uxor; quid vero in hac rebeli hemicrania profecerim, & in quantum spes restitutionis in integrum sit reliqua, infra in ipsa tractatione therapeutica commodior, me quidem iudice, erit dicendi locus, quare rem ipsam iam auspicabor.

CAPVT I.

PATHOLOGICVM.

§. I.

Ad medicam igitur huius affectus, quem praemissa prae se fert historia, me accingens considerationem, sedulo dabo operam, vt ad mentem BAGLIVI vtroque, saltem pro viribus exiguis, munere defungar.

§. II.

Varia quidem momenta in hoc affectu mihi se offerunt, quae iusta pertractatione satis digna essent; sed ne dissertatio nimia mole turgeat, omnia ex pathologica doctrina, quae de hoc affectu dici possent, hic recensere non placet, hinc ea tantum strictim afferam, quae ad sequentia probe intelligenda facere aliquid omnino videntur, iis tantum pertractandis deinde magis proprie inhæsurus, in quibus totius casus praesentis vertitur cardo.

§. III.

Potissima autem, quae se offerunt, momenta fere sunt: oculi sinistri sub variolis amissa acies; crusta lactea nariumque haemorrhagia, & vtriusque excretionis

salutaris mala tractatio ; vicarii iique periodici dolores colici cum subsequente biliosæ materiæ vomitu & gravissimis cephalalgico - odontalgicis commotionibus ; mensium emanatio in annum decimum octavum , fluxus eorundem per venæ sectionem invitatus quidem , sed reditus stato tempore cum vehementioribus dorsi doloribus stipatus ; promiscuus venæsectionis & sacrificatio- nis vsus ; matrimonium contentiosum ; febres male tractatæ ; mutatio indolis periodicæ prioris in illam, quæ jam per sex integros annos mordicus quasi ordinem suum servat ; & sic per hæc omnia evolutio caussarum, a quibus præsens affectus duxerit initium. Maxime au- tem, a quibusnam caussis iste adhuc dum pendeat, num a materialibus, an immaterialibus ? & quænam tandem sit ratio recursus ad amissum periodici ? quippe vtrum- que princeps est & methodi medendi feliciter adhiben- dæ fundamentum. Neminem enim vel tironum in medicina duplicis inter medicos adhuc superandis sen- tentiæ divortium fugit ; vbi nimirum schola altera me- chanica omnium motuum principium ponit in caussis potissimum mere physicis materialibus, necessitate me- chanica vniçe agentibus, atque per vires corporis hu- mani & mutuam partium habitum explicandis ; altera autem organica omnium motuum & actionum tam in statu secundum naturam, quam in eo, qui est præter eandem, præsidem ponit spiritum in nobis habitantem, physicis tamen & mechanicis corporis affectionibus vtentem. Verum prius, quam horum præstem quic- quam, apponamque : Vtri credis, benevole lector ? de hemicrania ipsa generatim quædam duxi præfanda, vt postea in reliquis omnia rite procedant.

§. IV.

Est autem *hemicrania* dolor capitis valde acerbus, dimidiam tantum illius partem occupans, ab *incompleta* sanguinis congestione ortus nariumque hæmorrhagiam *eminus* potissimum respiciens. Descendit ab *ημῶν*, semis, & *καρτίων*, calvaria.

§. V.

In eruenda differentia, qua se hemicrania a reliquis capitis doloribus distinguit, prolixiorum me versari jam nihil attinet; si enim datam modo *hemicratiæ* definitionem e. gr. cum *cephalalgia* quasi *εὐπαιθετῶ* comparaverimus, statim utriusque dispalescet discrimen: quippe hemicrania solum occupat partem capitis dimidiam, plerumque sinistram, alteram vero immunem relinquit atque intactam; contra cephalalgia modo per omnem encephalum, modo per certas alias illius partes diffunditur. Porro in hemicrania congestio est nulla alia, nisi *rheumatica* seu *incompleta*, evacuationem sanguinis *eminus* intendens, & vniversus ejus apparatus *spastico-arthritis* est indolis; in cephalalgia autem congestio est *simplex*, narium hæmorrhagiæ *propius* accedens ac destinata. Et denique sæpius subest in hemicrania causa quædam ex consensu, v. gr. hæmorrhoidum, mensium, & vena portæ hic omnino est patula panda porta malorum hemicranicorum; quam conpirationem huius rei cum pathematibus hypochondriaco-hysteris eo magis prodit & meditationem incitat, quia hemicrania *sinistrum* magis afficit capitis hemisphærium, id quod in illis itidem in sinistro plerumque latere observatur: contra in cephalalgia, vt ad eam revertar, simplex magis plethora in vitio esse deprehenditur. Hemicrania autem

tem

tem per se considerata omnino dividi potest in *idiopathicam* & *symptomaticam*, de qua modo quædam in antecessum attuli; itemque in *continuam* seu *fixam*, perpetuo quasi ægrotantem adfligentem, & in *periodicam* seu per paroxysmos recurrentem, qualem casus præsens, cuius causa omnis futura est dissertatio, exhibet luculentissimam.

§. VI.

Quum vero sub illo motuum *finalium* apparatu in hemicrania præsentem non possit aliter fieri, quin variæ molestissimæ exoriantur sensationes, & symptomatum activorum ac passivorum tribus conspiciatur, tum ad huius morbi *historiam* progredior, ex qua illa omnia elucescent.

§. VII.

Sæviunt dolores hemicranici in altero tantum capitis hemisphærio, præcipue sinistro, atque in eodem latere, quod afficiunt, modo sursum, modo deorsum ita divagantur, ut ex vno loco in alterum, scilicet ex osse bregmatis ad os temporale, & ex eodem ad dentes atque oculum illius lateris excurrere soleant. Et quando ita inferiores lateris partes occupant, superioribus paululum parcunt, mox autem ex illis in has revertuntur, adeoque affectuum spastico-arthriticorum more intercurfando affligunt. Imo vero dolores interdum ad lateris adfecti collum & brachium usque suam faciunt excursionem. Dolores autem ipsi sunt vibrativi, interlancinantes atque ordinarie adeo vehementes, ut ægrotantes caput quasi distrahi sibi ac divelli existimaverint. Non raro dolorum atrocitas adeo insignis est, ut neque levissimum sonitum, neque lucis radios perferre possint;

id

id quod etiam in ægra nostra observavi, quippè quæ quemvis paroxysmum capite velato sustinet. Dantur quidem dolores hemicranici, qui in quibusdam subiectis exiguam calvariæ regionem occupant; verum ita acuti, ita pungentes sunt, ac si telum ibidem infixum membranas dissecet. Quid vero sit, cur hi dolores sint tam atroces, hujus rei ratio ex structura & connexionione musculi temporalis, qui *crotaphites* ab anatomicis dicitur, est petenda; huius enim musculi superficies ex altera parte pericranio circumvestitur: hinc iste musculus spasmis affectus, inflammatus, meninges in consensum rapit acutissimum, adeo ut dolor in cerebrum vsque penetret. Ex quo perspicui potest, id quod *ωσ εν παροδω* monuisse sufficiat, quam anceps sit conamen, quando morosi atque ira perciti ORBILII discipulis petulantibus ad hunc musculum temporalem ducere solent alapas. Sed revertor in viam. Dum vero in partibus superioribus hæc, quæ modo recensui, ita geruntur, non potest, quin in partibus remotioribus motus tonicus sit solito strictior, unde quoque in paroxysmo vrina cruda, & alvus frequentius sicca esse solet. Sed iam satis est signorum; iam ex vngue leonem.

§. VIII.

Nunc ordo tangit subiecta, in quibus habeat locum hemicrania. Tam in iunioribus, quam in adultioribus; in vtrisque enim causæ occasionales, hunc affectum excitantes, habent locum, eo tamen discrimine, ut in iunioribus dextrum præcipue latus, in adultioribus autem sinistrum ordinarie occupetur. Interim tamen feminis familiarior est, quam viris, cum primis illis, quæ vitæ otiosæ addictæ, mensium ataxiæ obnoxiiæ sunt,

C

funt, & crebrioribus animi commotionibus commoventur; specialissime autem illæ, quæ in coniugio vivunt sterili: quod si vero in viris legitimus hæmorrhoidum succensus turbatus est, & temperamentum cholericofanguineum conspirat, quod particulis sulphureis, organismum sanguinis promoventibus, abundat, non infrequens esse solet, si & illi ob turbas venæ portæ huic malo subiiciantur.

§. IX.

Egi hæctenus magis historice, secundum illam sensibus obviam experientiam, de signis & subiectis hemicraniæ generalioribus; facio iam progressum ad investigationem *causarum*, quippe quæ medicum & in morbi & remediorum cognitionem deducunt amplissimam. Ad illas autem luculentius expediendas quum parum profecto intersit, fictricis ingenii ludibria, hoc est, futes & extra aleas vagantes non nullorum opiniones, quæ sponte subruuntur, in medium proferre, brevitatis potius studiosus in genuinas hemicraniæ causas, ex quibus motuum nexum, eorundemque mutuam consensum clarissime perspicere possumus, sine verborum anfractu inquiram.

§. X.

Ratio igitur sufficiens & *proxima* in sanguinis per cerebrum ejusque *sinus* circuitu, a *congestione* versus caput *incompleta* seu *rheumatica* turbato, impedito atque intercepto potissimum est ponenda. Non enim semper tam directis motibus instituitur congestio, ut finis naturæ eluctatorius, nempe hæmorrhagicus, ab ipsa propositus, obtineri possit; sed sæpius lato ambitu ac diffuso humores versus encephalum diriguntur, ut *eminus*
tantum

tantum a loco excretionis & quasi tergiversando in partibus musculo-tendinosi ac membranaceis detineantur. Ejusmodi autem congestio sanguinis versus caput perficitur per motum tonicum, ultra naturalem sui gradum auctum, quo in partibus remotioribus, poroso-vasculosis quædam fit fibrarum musculo-tendinearum ac nervosarum justa constrictio, ut humores inde versus locum destinatum eo facilius comprimantur, propellantur & coacerventur, unde etiam in hisce locis remotis quædam subsidentia, pallor, inanitio vasorum & frigus observatur. Suscepta igitur in finem quidem hæmorrhagicum versus caput congestione, eundem autem, dum eminens a loco excretionis & in ejusdem tantum vicinia facta est, non obtinente, vasa a sanguine præternaturam in capite coacervato nimirum impleta, distenta & turgida liberiores sanguinis itum & reditum efficiunt longe impeditiorem & difficiliorem. Quam rem optime & luculentissime videtur demonstratum B. STAHLIUS in *dissert. de motu tonico vitali; de æstu maris microcosmici; de motibus humorum spasmodicis a motu pulsus ordinario diversis; de autocratia natura.* Conf. ILL. MODERATI. *conspect. pathol. Tab. IX. de congestionibus.* Ex ejusmodi autem proluxa & nimia vasorum partiumque cephalicarum repletionem & distensionem non potest fieri, quin dolores supra commemorati gravissimi cum insigni pruritus atque æstus sensu cooriantur. Ne autem a tanta humorum mole, ibi in finem hæmorrhagicum facta, partesque mirum quantum distendente, stasis, inflammatio, aut alia inde metuenda mala, consequantur, ibidem per spasticam intensiorem jam *dura matris*, jam *pericranii*, fibrarum nerveo-musculosarum, in primis

C 2

musculi

musculi temporalis, *Crotaphitis*, activa, reciproca, anti-practica & contentiosa a natura instituitur discussio, unde, quia istæ partes sensu præditæ sunt subtilissimo, dolores per hunc naturæ laborem *πολεμιον*, cum passivis symptomatibus æstuosis & distendentibus conjuncti, longe vehementiores existunt atque intimiores. Ejusmodi autem congestioni tam simplici seu completæ, quam rheumaticæ seu incompletæ, tamquam *caussa antecedens* ac disponens ansam præbere solet nimia humorum abundantia seu *plethora*, & individuus ipsius comes, *spissitudo*, præsertim in congestione rheumatica cum sulphureo-biliofa dyscrasia per temperamentum rationem conjuncta & quibuscunque causis *occasionalibus commota*, aut a locis excretoriis, dum natura hæmorrhagiis occupata est, ad *interiora* retro *coacta*.

§. XI.

Itaque causa generali, *materiali* ac *formali*, potissimum perspecta, dissertationis ordo & methodus omnino requirit, ut *causas* specialiores & *procatarticas*, quæ naturam, præsentem plethora spissa, ad congestiones versus caput excitare valent, ea qua fieri potest, brevitate jam evolvamur atque etiam expediamus. Maxime autem hic in censum venit *vita sedentaria*. Etenim per naturæ microcosmicæ leges ad justam vitalium motuum administrationem legitima & proportione naturali gaudens requiritur humorum quantitas; verum in hominibus vitæ sedentariæ, aut pro fortis conditione necessariæ, aut otii tantum gratia sponte electæ deditis, vigente adhuc appetitu & digestionem laudabili, sanguis continuo quidem suppletur, debita autem proportione non consumptus, nec in corporis proprii & in feminis foetus
fimul

simul augmentum applicatus, sensim plus humorum perficitur ac favetur, quam proportio ad vasa corporis & vires motrices permittunt; id quod a consistentia spissa & crasi vitiosa diu liberum existere nequit; ob nimiam enim movendorum molem, energiae vitali oneri factam, æquilibrium fluida inter & solida tollitur, unde motu solidorum languescente sanguis in omnes corporis provincias legitimo successu ire, & redire ex iisdem non potest; quandoquidem major quantitas tardius, minor autem citius circumagitur. Hinc viæ & meatus nimia oppletionem semetipsos infarciunt, atque humorum progrediendorum libertati novum objiciunt impedimentum; nam hac ratione major in dies reditus increbrescit, perit humorum fluxilitas, secretionum & excretionum successus fit impeditior, superfluum abundantia, justæ craseos imminutio, & ipsa tandem spissitudo vera subnascitur. Et quum hoc in universo vasorum systemate contingat, liquido dispalescit per experientiam anatomicam, humorum progressum fieri adhuc impeditiorem a congestionem accumulati præter consuetudinem sanguinis in finem hæmorrhagicum frustra suscepta in illis locis, per quæ secundum naturam varias ob rationes sanguis paullo fertur segnius; id quod, præter systema venæ portæ & viscera cum eadem intime connexa, cum primis fieri solet in capite, ubi motus sanguinis per *sinus meningum* apprime convenit cum motu illo, qui fit per venam portæ ejusque ramificationes visceraque connexa, adeo, ut quasi tot venæ portarum sint in capite, quot sinus duræ matris. *Vid. ILL. MODERAT. consp. physiol. Tab. IIII. de corpore structo, EIVSDEMQUE disert. de sinibus duræ matris sinibus multorum malorum;*

item GOHLII *Tr. vom Vorurtheil des Verstandes in der Lehre von den spiritibus animalibus cap. IIII. pag. m. 158. seq.* Quid igitur mirum, si ob collectam plethoram spissiore, pigrum ejusque progressum congestiones hæmorrhagicæ instituuntur, sine autem proposito intercepto, natura, sui corporis saluti semper intenta, adducitur eo, ut huic rei *πυξ και λαξ* laboreque admodum *πολεμια*, tametsi corpori molestissimo, ad mala, inde dependentia, avertenda congestione rheumatica se opponat? Rheumatica enim congestio tunc potissimum evenire solet, si vel antecedens quaedam congestio simplex sinistro sui eventu stases, inflammationes, sive aliud quodcunque damnum inferre possit; vel si in hominibus, præsertim ætatis provectioris, qui in juventute narium hæmorrhagiis aut aliis serosis evacuationibus adfuerunt, ob varias causas, in primis mensium & hæmorrhoidum turbas, evenit versus locum alias consuetum excretorium eluctatoria motuum palindrome: sed quia incompleta est seu diffusa humorum congestio, ac vehementior & nimia, quam pro placida excretionem obtinenda esse deberet, spasmodorum intensio, per nervo-muscularum partium contractionem maxime sensibilis, excretionem contraria est & maximo impedimento, in primis si præter ætatem nec aliæ respondent circumstantiæ; imo vero si per temperamentum rationem pertinax animi indoles atque sensibilitas accedit, sinister ejus eventus semper aliam invitare solet, ut deinde facta per consuetudinem versus hunc vel illum locum determinatione nova identidem humorum translatio versus ejusmodi locum vel ex causis levioribus excitetur, arque ille tandem arx fiat quasi conjurata. *Vid. STAHLII dissert.*

de

de teneris agris. A. N. C. Dec. II. an. 2. obs. 140. & an.
10. obs. 3.

§. XII.

Inter causas autem procatarcticas nulla est efficacior ad hemicranias excitandas, quam hæmorrhagiarum naturalium, præcipue mensium & hæmorrhoidum suppressio. Nullus enim fluxus tam cito & tam periculose suppressitur, quam qui per vias uterinas atque ani venas fieri solet; nam contractis extremis vasis & partibus, per quas fluxus instituitur, vaporum & nervosarum partium motus statim se convertit & sanguis versus interiora declinatur. Et quum hæ excretiones naturales potissimum fiant ob imminuendam plethoram, adeoque ad sanitatem corporis conservandam, quid ergo mirum, illis suppressis varia gravia mala in abdomine, pectore & capite evenire; semper enim sanguis retentus modohuc, modo illuc redundans obstructions, stagnationes cet. minatur. Quia autem ejusmodi motus per suppressam hæmorrhoidum & mensium evacuationem ad interiora conversus sit a natura alienissimus, fieri aliter non potest, quam ut vicinis partibus varii motus contrarii, ad materiam iterum movendam, partim ad æqualem distributionem, partim ad ejectionem, instituantur, qui deinde, hæmorrhoidibus & mensibus iterum in ordinem redeuntibus, plane evanescent; sin contra, humores ad venam portae atque hepar repulsi ulterius per venam cavam in proximam proficiscuntur regionem pectoris variis tensivis ac spasticis contentionibus: verum & ibi in finem hæmorrhagicum nequicquam suscepti progrediuntur ad supremam provinciam, caput, eo fortius, vasa inflantur, sinus nimio sanguine turgent, atque ex-
cretio-

cretionem quidem urgent, sed tantum abest, ut & ibi magno, difficili & spastice molestissimo suo conatu eandem consequantur, ut potius propter maiorem impetum ac diffusiores ambitum a loco excretionis hinc inde longius divagantes illa plane excidant. Et sic omnem apparatus dolorum, in hemicrania obviorem, inducunt.

§. XIII.

In hæmorrhagiæ narium facta per quascunque causas suppressione effectus observatur longe præsentior; sed de hac infra erit locus explicatius dicendi. Progredior igitur ad alias causas, inter quas maxime etiam congestioni rheumaticæ versus caput *sanguinis missionum per artem* statim tempore instituendarum, *vene sectionis, scarificationis, neglectus* solet patrocinari. Non facile quidem, si secundum naturam homines viverent, illis opus esset; quoniam autem in plurimis id secus contingit, ejusmodi depletionis remedia, quæ ratio a priori & experientia a posteriori satis comprobavit, erant substituenda. Et hic provectoris ætatis homines, tametsi multi venerabilem virium & vitæ thesaurum, sanguinem, in illis esse asseruandum, omni conatu, *χερσιν τε ποσιν τε* contendant, plane non sunt eximendi; plurimi enim ex senioribus sunt plethorici, & quia parum exercent corpus, pleno simul & lauto utuntur victu, plus sanguinis conficiunt, quam ipsis conducere possit: adeoque in illis justa atque opportuna sanguinis missio, etiam si ad annum ætatis octuagesimum processerint, prorsus repudianda non est. Si quis enim non vivit secundum naturam, nec ejusmodi remediis, quæ nimiam humorum copiam imminuunt, inter quæ moderata corporis

poris exercitatio maxime superat, velit vti, & nimia vaporum plenitudo, segniorque sanguinis circuitus mala praefagit imminencia, tunc optimum est, sanguinem, quam primum id fieri possit, mittere; id quod motum humorum restituit liberiolem, adeo, vt quoque excretionem, sanguine superfluo dimisso, eo melius, quam antea succedere animadvertamus. Per experientiam autem discimus, sanguinis missiones adfuetas non tantum pristinae indicationis, plethorae imminuendae gratia, sed etiam consuetudinis lege iusto tempore esse repetendas. Hinc plane non mirandum, quando post neglectam talem sanguinem vacuandi consuetudinem accedente lautiori victu & vita a corporis motu plane aliena, sanguis accumulatur, accumulatus redditur spissior, spissior tandem fluida inter & solida tollit proportionem, legitimum secretionum & excretionum intercipit progressum, & varia hinc molimina naturae haemorrhagica, rheumatica, arthritico-hemicranica consequuntur. Quid quaeris? tantae est efficaciae haec per artem sanguinem vacuandi consuetudo, vt natura, tametsi plethora per vigiliam, abstinentiam, labores vel morbos ipsos sit remota, motibus tamen suis, excretionem spectantibus, non semper acquiescat, tanto magis, quando vtrumque, & plethora, in primis commota, cum consuetudine, illam per artem solvendi, praesto est, imo habitus humores alacriter ad caput, locum, vbi alias vacuatio contigit, transferendi accedit; hic enim praeter alia mala, frustra suscepto a natura labore haemorrhagico, nihil praesentius inducitur ac promptius, quam dolores cephalalgici & hemicranici. Quam egregium autem multos morbos & praecavendi & avertendi praesidium est in sanguinis

INDEX

D

nis

nis missione per venam opportuno tempore sectam, tam magnam etiam vim nocendi habet eadem *ακαιρωσ* & *αποπρωσ* instituta; quia enim ordinem motuum excretoriorum pessime invertit, transpirationem inhibet, longe peiorem, quam fuit ante, corpori infert conditionem, & maxime idonea existit ad effectus *πολεμικες* seu contentiosos, cephalicos, hemicranicos, inducendos, imo vero eosdem, si in illorum *ακμη* inconsiderate instituitur, acerbiores efficit ac pertinaciores.

§. XIII.

Omne corpus humanum & *exspirabile* esse & *inspirabile*, apud omnes in confesso est; innumeris enim tubulis & poris pervium atque vasculosum existit, adeoque per illud continuo & perenni motu humores æstuan-tes ac superflui circumferuntur atque ingens copia tenuissimorum corpusculorum aqueo - sulphureo - salinorum, seri excrementitii nomine venientium, evehitur, id quod per aërem frigidiorum, condensatis humoribus secedentibus, atque æstivis mensibus per solem ferventem sudoribus largis maxime venit in conspectum. Quo liberior hæc perspiratio est, eo majus inde sanitatis existit commodum: quo impeditior autem illa est, aut per quascunque causas inhibita, eo maiora & periculo plena corpori infert mala. Omne autem illud, quod puncta contactus in corporis peripheria nimium quantum adauget, seu nimiam infert constrictionem, id *inspirationi* seu *inhalationi* dare solet ansam; hoc enim modo, si partium solidarum constrictio fit nimia, serum, tametsi halituosum, poros transmigrare nequit, sed in interioribus partibus deponatur oportet. Præter constrictionem vero etiam aliquid valet hic nimia peripheriæ relaxatio;

xatio; unde omne id, quod puncta contactus iusto nimis diminuit, seu partes solidas nimium relaxat, id infert inspirationem: iusta enim ita vasorum exspirantium tensio tollitur, qua sublata sanguis in extremitates non eo, quo deberet, nisu progredi potest, sed retinetur, ad loca centralia deducitur, atque hinc idem, quod in corporis salutem debebat exspirare, inspirare oportet in eiusdem perniciem. Itaque quo magis vasa sanguine vel puro vel impuro antea fuerint repleta, eo plus sanitati officit inspiratio. Nocet ideo quam maxime plethoricis, ac multis congestionibus arthritico - rheumaticis suppeditat occasionem. Ac proinde *inspiratio* seu impedita transpiratio inter *causas, hemicraniam excitantes*, locum occupat non infimum. Et sic brevibus hanc causam expediisse sufficiat, nec opus esse existimo illis, quæ speciatim viam inspirationi aperiunt, recensendis diutius immorari; quid enim valeat *terror, subita aut saltem immodesta* corpore egregie perspirante *refrigeratio*, ex physiologicis cuilibet, cuius interest, corporis vivi inire rationem, planum est ac perspectum. Confer. B. STAHLII *dissert. de transpiratione impedita*, Illustr. MODERATOR. *dissert. explicans plurium morborum rationem ex inspiratione feri excernendi deducendam.*

§. XV.

Suam symbolam porro contribuit ad hemicraniam efficiendam *simplicis cephalalgie* per *calida* aut *opiata* remedia perversa *tractatio*; opiata enim sanguinis per *cerebrum & sinus* progressum non tardiozem tantum reddunt, sed etiam eiusdem præsertim in sinibus, incarcerationi præbent ansam. Hinc illis frequentius & larga manu adhibitis contrarius plane effectus sæpissime inducitur;

D 2

ducitur;

ducitur loco enim mitigationis dolorum cephalgicos in hemicraniam & contumaciam paroxysmorum sæpius recurrentium incredibilem coniiciunt, vnde non raro audire contigit: *Das gewöhnliche Medicament vwill nicht mehr helfen.* Vid. B. STAHLIVS *de impostura opii.* Illustr. MODERATOR. *dissert. sistens casum cuiusdam matronæ largissimo opii usu per plures annos tractatæ.* De remediis calidis, quia sanguinem commovent, eo magis eadem affectus exasperatio est exspectanda.

§. XVI.

Conspiratio capitis cum ventriculo per par octavum nervorum bene quoque in hemicrania est attendenda; cruditates enim, a nimia ingestorum copia & concoctione difficiliori exortæ, fortius nerveas ventriculi tunicas lacerantes, tendentes & stringentes, totum systema nervorum in consensum excitant; hinc in subiectis sensibilibioribus statim dolores cephaligici, hemicranici exoriuntur, quam primum digestionis vitia occurrunt & ventriculus flatibus distenditur aut refrigeratur: quamquam negandum non est, hic partium consensum non univrsum negotium exhaurire, sed congestiones aliis ad caput, aliis contra ad alias partes per meram consuetudinem contingere, quam primum e. gr. cibus dyspeptus aut ingratus, tametsi mollis, fuerit assumtus.

§. XVII.

In causarum, *hemicraniam* efficientium, censum porro veniunt nimie *vigilie*; studiorum intemperantia, profunda, fixæ, diuturnæ atque in concubiam sæpius noctem protractæ *meditationes*: quæ quum plerumque cum vita coniunctæ sunt sedentaria, & in concoctionis, chylicationis, sanguificationis, secretionum atque excretio-

cretionum, aliarumque præparationum, absterfionum, mundificationum, & vt paucis dicam, in ea incidunt tempora, vbi natura corporis & vitæ naturalis negotiis est occupata, facili negotio patet, animum, dum meditationibus districtus & diurnis iam laboribus, vt ita dicam, enervatus est, maxime a corpore eiusque functionibus vitalibus & naturalibus divelli, omniaque memorata negotia perverti, atque humores, præsertim in plethoricis, ad perverfas commotiones atque infensas versus caput concitari congestiones; id quod non experientia solum, dum eiusmodi noctis filii sæpius de doloribus cephalalgicis atque hemicranicis conqueruntur, sed etiam proverbium, illa comprobatur: *man studire, dass einem der Kopf wvarm vverde vnd schvvitze*, luculentissime testatur. *Conf. Illustr. ALBERTI dissert. de mente sana in corpore sano; de morum & morborum consensu: de affectuum animi effectu medico; memento mori; aurora musis amica & sana.*

§. XVIII.

Præterea in *hemicrania* effectum conspirant omnia ista, quæ sanguinem per se celerius in orgasmum coniiiciunt, atque eundem in capite nimium accumulunt, vasa infarciunt, distendunt. Hoc enim factò facillime efficitur, quia sanguis, vti supra iam indicavi, per varias rationes tardius ibi secundum naturam vltro citroque ire solet, vt sub tumultuariis eiusmodi motibus hemicrania consequatur. Huc autem spectant cum primis *animi pathemata iracunda*, præsertim *tacita*. Eiusmodi profecto est iracundiæ effectus, vt celerrime corpus lædere, & motus ordinarios, vitæ præfides, destruere, pervertere, variosque affectus inferre possit.

Vehementiori enim partium nervoso - musculosarum constrictione omne systema nervosum commovet, systolen cordis vasorumque annexorum & tonum partium mirum in modum auget. Præsertim vero spasmodica strictura vim suam exserit in ventriculum, intestina, hepar & ductus biliosos, maxime etiam in membranas cerebri, vbi sanguis iracundiæ impetu celerrime commotus ac congestus per meatus & anfractus statim redire nequit. Equidem post insignem iracundiam manifestum motus cordis augmentum, pulsus intensio, respiratio concitior, extremitatum tremor, fitis, calor, & rubor faciei, arteriarum capitis, præsertim temporalium, maior inflatio & pulsatio, oculorum ferocia & scintillatio actionumque mentis præceps commotio animadvertitur, vtpote quæ omnia testimonium de concitiori atque impetuosiori sanguinis motu, præsertim versus caput, perhibent luculentissimum. Atqui quum sanguis celerrime & copiosissime in encephalum compulsus inde non illico ea, qua par esset, ratione potest redire, facile edocemur, nihil præsentius in eodem infarctus, stases, inflammationes, cephalalgias atque hemi-crancias excitare posse, quam ipsum iracundiæ affectum vehementiorem. Confer. B. STAHLII *dissert. de passionibus animi corpus varie alterantibus. Illustr. MODERATOR. Hygiem. Tab. de pathemat. animi pag. 521.* Iracundia contra liberior, hoc est, a metu, tristitia aliena & vindicandi libidinem exserens, interdum longe secus est comparata, sanguinem quidem movet a centro ad peripheriam; at vero humores simul resolvit & discutit, atque hanc ob causam in nonnullis, præsertim hominibus seignioris temperamenti, & morbis sic dictis frigidis,

gidis, aliquando corpori potius proficua, quam noxia deprehenditur. De qua re varia auctorum passim extant testimonia locupletissima. Verum de hoc argumento eiusque rationibus pluribus in præsentia differere nihil attinet. *Vid. Illustr. MODERATOR. dissert. de affectibus patheticis corpori interdum proficuis; B. STAHLII dissert. de animi morbis; ILL. ALBERTI dissert. de medico effectu affectuum animi itemque CLARISS. D. DVBINSKI dissert. de reminiscencia vitali quatenus caussa morborum, vbi simul, vnde hujus rei ratio sit eruenda, præclare edocetur. Fatendum tamen est, si medicus medicum effectum per affectus animi, præsertim per iracundiam, in corpore, morbo affecto, velit producere, maxima opus esse cautione, omniaque prius e corpore tollenda, quæ intentum effectum possent impedire, & morbum convertere in statum deteriore; id quod omnino fieret in cholericis, itemque in illis, qui ad hæmorrhagias, ad metastases ad caput, ad affectus spasmodicos cet. inclinant, pessime succederet negotium, vt taceam illos, quorum læsa sunt viscera.*

§. XIX.

Eodem jure inter ea, quæ paragrapho antecedente dixi, etiam referenda sunt potulenta spirituosâ inebriativa, five sint vina, præsertim sulphuris fumo adulterata, five cerevisiæ larga manu lupulata, vtpote quæ omnia liberiori, largiori atque vsu continuato & solidis & fluidis corporis humani partibus graves inferre valent noxas. Observatione autem quotidiana, proh dolor! discimus, potulenta inebriativa maxime omnium lædere caput; omnia enim spirituosâ, largius & frequentius assumta, partibus *φλογισοις*, sulphureis sanguinem expandunt,

dunt, humorum progressum per omne corpus augent atque accelerant, id quod dum præsertim fit in capite, & arteriæ carotides & vasa plexus choroidæ tenuissima hinc nimium dilatantur, in systole & contractione impediuntur, sanguinisque adeo transitus per caput fit tardior, venæ infarciuntur, facile per ea, quæ paragrapho præcedente attuli, dispalescit, qui fieri possit, vt exinde præter reliquos spirituosorum noxios effectus sequatur hemicrania. Etenim, vti canit EOBANVS,

Immodici sensus perturbat copia Bacchi,

Inde quis enumeret, quot mala proveniant?

Corporis exhaurit succos, animique vigorem

Opprimit, ingenium strangulat atque necat.

De *crapula* autem *menstrua*, quam tamquam egregiam medicinam commendare quosdam ex paganorum & Christianorum medicis non puduit, & quidem eam ob causam, quod vomitum cieat, & hoc modo corpus purget, quid statuendum sit, non longe abieris. *Schola* quidem *Salernitana* dicit

Si nocturna tibi noceat potatio vini, hora matutina rebibas, & erit medicina; *schola divina* contra, *non sunt*, inquit, *facienda mala, ut inde eveniant bona.* Vtri igitur parendum & credendum? Et profecto instituti hujus plane impii, cui nemo sobrius & σοφιστικῶς vtens subscribet, effectus, quem ejus patroni prædicant bonum, est longe falsissimus. Confer. GVIL. NICOL. SEVFFERHELD *dissert. de morbis bibonum.* ALTORF. clō 16 cc xx. habita.

§. XX.

Vnius rei quum plures esse possunt causæ, ita etiam morbi præsentis, de quo agimus, adhuc plures esse

esse solent, quam quidem in superioribus adduxi: sed diutius in pluribus commemorandis commorari nolo; quia fere sufficiunt, quas iam enarratas offendimus, saltem quæ adhuc restant, in vnam earundem classem facili negotio referri poterunt. Prius tamen, quam ab hemicraniæ historia discedam, *dispositionis hereditariæ lesionumque capitis*, utpote quæ duo gravia adhuc sunt momenta, quædam mentio videtur facienda.

§. XXI.

Multum profecto in morbis valet *dispositio hereditaria* seu peculiaris connata & a parentibus ad liberos hereditate quasi propagata ad certos morbos habitudo. Corporis enim non solum statura ac faciei lineamentorum similitudines, sed præsertim etiam *morum animi* indoles, *animi pathemata*, & aliæ peculiare eiusdem affectiones in variis rebus sive iucundis appetendis sive fastidiosis averfandis, maxime autem *idea* certorum affectuum in *motibus secretoriis* atque *excretoriis*, in primis *hæmorrhagicis*, aut quacumque tandem ratione excussoriis in liberos a parentibus per generationem transmittuntur. Et quum morbi hereditarii non tam a *materialis constitutionis textureque* vicio oriuntur, quam ab *activo* quodam potius ac *destinato motu* inducti per *consuetudinem* perennant atque in habitum deducuntur; hoc cum primis annotatione dignum est, eiusmodi motus non solum *locæ*, sed in primis etiam *tempora peculiariorumque* proportionem, uti in patre vel matre aut utroque parente antea fieri consuevit, familiarissime æmulari. Vid. B. STAHLII *dissert. de fundam. morbor. etatum; de motu humorum spasmodicis; de infrequentia morborum; de patholog. fundam. practicis; de dispositione hereditaria*.

hereditaria. Atqui eiusmodi dispositionis hereditariæ exemplum, vti paullo ante scripsi, non raro exhibet hemicrania evidentissimum, vtpote quam in nonnullis familiis per multas generationes propagari, indeque *die Familien Kranckheit* appellari observamus, præsertim si filii filiaque idem atque parentes vitæ genus sequuntur. *Vid. A. N. C. Dec. III. a. 5. 6. append. obs. 137.* vbi peculiare hemicraniæ exemplum, hereditate propagatum, memoriæ proditum extat.

§. XXII.

Ad ultimum igitur historiae momentum, *causas a mala partium cephalicarum conformatione* derivandas, arteque fere nulla tollendas, iam progredior. At vero illis recensendis non immorabor; sed illarum occasione quædam tantum monuisse in præsentia sufficiat. Scilicet eiusmodi causas, si quædam in hoc vel illo subiecto, hemicraniæ obnoxio, re vera præsto sunt, ad ordinarias plane referri non posse, imo vero in illis veluti *alio morbo* allegandis, aliis rationibus, theoriæ cuiusvis accommodantis, deficientibus, profecto sæpius auctores allucinari & fallacias causarum committere, præsertim qui omnia morborum phænomena e corporis ipsius structura & constitutione derivanda contendunt. Si e. gr. in subiecto quodam hemicranico fuerint crania sine futuris, altioris indaginis adhuc foret, vtrum eiusmodi naturæ defectus, an potius congestio incompleta, secundaria versus caput directa fuerit in causâ, cur exorta sit hemicrania. Eodem modo res comparata est in aliis capitis vitiis, quæ observationes practicæ auctorum, quibus studium fuit mortuorum corpora scrutari, animadversa memoriæ prodiderunt, vt sunt membranarum cere-

cerebri ac meningum inflammatio, stases lymphatico-ferosæ, collectiones scirrhusæ in cerebro ac meningibus, concrementa sanguinis polyposa in cerebri sinibus, partium erosiones cet. utpote quæ plerumque congestionum, sinistro successu atque eventu susceptarum, mala esse solent consecutaria. Nec aliter se habent capitis læsiones a causa violenta externa, contusione, casu, ictu, vulneratione, & quæ sunt reliqua, illi inflictæ, utpote quæ iterum iterumque novis congestionibus ansam suppeditare solent ad noxam materiale abstergendam ac detruendam. Adeoque omnes eiusmodi causæ *solæ* ad mutuum dolorum hemicranicorum nexum, illorumque inter se dependentiam mutuumque consensum congrue expediendum plane non sufficiunt, sed semper motuum activorum, destinato consilio ob vitium quaecunque præsens susceptorum in hoc negotio, tamquam lapidis Lydii, ad quem reliqui motus examinandi sunt, omnino est ratio habenda.

§. XXIII.

Postquam satis, uti quidem spero, de ipso affectu recte diiudicando & ex indole sua, quæ est spastico-arthritica, rite æstimando dictum est, accedo ad specialiores quarundam, quæ in morbi historia offenduntur, circumstantiarum atque eventuum inde dependentium, considerationem. Primum vero, quod in illa se nobis offert momentum, est *sub largiori variolarum proventu*, qui primo statim ætatis anno contigit, *visus in oculo sinistro læsus*. De variolis autem, ætati infantili & puerili præ reliquis ætatibus magis familiaribus, multa hic ex earumdem pathologia commemorare, a fine nimis esset alienum. Novimus enim omnes, esse febrium acutarum

exanthematicarum speciem, epidemice plerumque graffantem, vbi natura motibus secretoriis & excretoriis vltra gradum naturalem auctis materiam fermentescentem, vlcerosam ad peripheriam corporis propellere & eliminare intendit. Sufficit inter alias præternaturales constitutiones in illis occurrentes ratione hic peculiari annotasse, non raro sub copiosa eruptione exanthemata nobiliores faciei partes, aures, oculos cet. occupare, ac sæpius iisdem exinde imminere periculum, idque in oculis facilius, quia infantum ploratu & facta propter dolores frictione adfluxus ingravescit, deinde quia conglutinationis palpebris, illisque reclusis, ipsis partibus oculorum interioribus ab exanthematibus infectis, varia a parentibus pessime sedulis proprio atque inconsiderato ausu remedia plerumque incongrua, in primis acria, aut alia reprimentia adhibentur, quibus tantum abest, vt pericula ab oculis avertant, vt potius illis demum efficiant eiusmodi aliquod vitium, quo visus non potest non gravissime affici ac lædi. Quando enim variolæ sive per se, sive per varia remedia expellentia copiose proveniunt, & magnam materiæ variolacæ quantitatem peripheriæ ambitus, per motus auctiores in illum protrusam, non capit, facile dispalescit, interiora iisdem etiam occupari, variisque de causis hinc inde applicata reprimentia rem facere eo deteriore. Iam vero, vtrum oculi sinistri læsio in subiecto nostro per incongruam parentum tractationem, an per exanthemata sola, an vero per vtrumque evenerit, quia historia de hac re nihil suppetit, quod pro certo affirmem, equidem non habeo. Nobis etiam perinde est, quocumque tandem pacto id factum fuerit; id saltem liquet, non levem postea fuisse causam, quæ cum
reli-

reliquarum societate naturam ad congestiones versus finistrum capitis hemisphaerium sollemnius instituendas excitavit. Quemadmodum enim natura in pusionibus exaedificando ac perficiendo omni corporis systemati, in primis capiti, maxime intenta est; ita etiam cuiusvis partis specialem integritatem motibus suis mechanico-organicis conservare satagit: & tantum abest, ut partium sui corporis, quae laesionem quandam nactae sunt, custodiam deferat, ut potius eiusmodi partis laesae magis, quam sanae, sollicitè curam gerat. Eum quidem in finem, ut ipsi ad vitium praesens aut novum imminens avertendum veniat auxilio. Saepius autem bona tantum est intentio sine suo plane excidens; tantum enim abest, ut laesionem multis congestionibus avertat, ut potius illis eandem in peiorem coniciat statum; siquidem fluidorum copia ibi iusto maior accumulatur, hinc novae stagnationis, staseos & corruptionis facile maius enascitur periculum, adeo, ut eiusmodi pars deinde fiat *arx congestionum quasi coniurata*. Vid. Ill. MODERAT. *diff. de defensione alterius oculi, quando alter quocunque modo visu iam privatus est*. Quum in infantia, pueritia & adolescentia, uti paullo ante dictum est, per se caput maxime etiam secundum naturam varias ob causas, tam internas, quam externas occasionales, largioribus obnoxium est congestionibus, inde etiam ob nimiam ibi saepe congestorum humorum copiam fieri solet, ut in eodem quaedam eorundem pars reddatur impura atque in corruptionem abeat seroso-lymphaticam, adeoque ad summam cutem partesque capitis externas deferatur, variaeque sic superficiales orientur ulcerationes atque excrescentiae, quas inter eminent *achores, crusta lactea & tineae*; id quod al-

terum momentum est, in subiecto nostro obvium, & meditationi breviter subiiciendum. In eiusmodi enim excrescentiis aliisque pustularum & macularum speciebus nihil inconsultius fieri potest, quam corruptam materiam, quæ in corporis salutem exitum per transpirationem affectat, variis incongruis remediis, *unguinosis*, *pinguibus* & *adstringentibus* impedire & reprimere; siquidem tubulis cutaneis hoc modo oclusis & constrictis materia corrupta, maligna ac veneni fere vim induens retro coacta, alia intrinsecus petit loca, in primis membranoso-nervea & glandulosa, atque infausta ac grauiora importat mala, vt sunt *gutta serena*, *vertigo*, *hemicrania*, *phrenitis*, *epilepsia*, *angia*, *asthma*, *pleuritis*, *cardialgia*, *vomitus*, *singultus*, *intestinorum tormina*, *varii generis febres* cet. quod quum etiam in subiecto nostro a parentibus sæpius factum esse historia refert, quid mirum, ob rationem supra allatam, novam a natura arreptam fuisse causam, ad mala grauiora præcavenda & auertenda, eo acrius suis versus caput pergendi congestionibus. Et mirandum sane, salutariter adhuc perrexisse naturam; retropulsis enim identidem intempestive provida parentum cura achoribus in locum semper ferre substituit vacuationes sinceri sanguinis, per narium hæmorrhagias, easque interdum largiores, iuventuti ceteroquin familiares; quæ autem, quamquam interdum etiam sua sponte cessarunt, dum eadem ratione, vti crusta lactea, more maxime damnando, inhibita & suppressa fuerunt, non potuit fieri, quin ægra nostra per eiusmodi tractationem & crebriores, inde dependentes, congestiones rheumaticas, secundarias, dentium corruptioni, odontalgia & cephalalgia præmature subiiceretur,

5017191

ε II

tur,

tur, utpote quæ præter alia mala, ut *ophthalmiam, cataractam, otalgiam, tinnitum aurium, erysipelas, faucium inflammationem, parotidum, tonsillarum, uvula tumores, palpitationem cordis, asthma, præcipue siccum, catarrhum suffocativum, hæmoptysin, phthisin, pleuritidem, peripneumoniam, febres acutas, hecticas, arthritidem, mali hypochondriaco-hysterici apparatus* infausta narium hæmorrhagiæ per incongrua medicamenta suppressæ sunt confectaria. Quæ scena quum in annum decimum quintum luditur, natura hac ratione a necessario sexuque sequiori maxime salutari fluxu menstruo adhuc avocata, tandem cum impetu ad infimam cavitatem convertit, atque in priorum excrescentiarum sanguinisque vacationem per nares locum vehementes motus colicos, et in subsequente vomitu materiæ biliosæ periodicos, scilicet die quoque octavo ad nychthemeron subinde instituit, quo simul per morbi historiam ex consensu ventriculi caput gravissimis doloribus cephalalgicis atque odontalgicis affectum fuit; & sic tantum abfuit, ut, quum menses anno ætatis demum decimo octavo, prævia venæ sectione, difficili labore emicuerent, dolores cephalalgico-odontalgici, tametsi paullulum mitigati, inde fuerint sublati, ut potius, motibus in infimo ventre quiescentibus, nova causa illis fovendis fuerit subnata; etenim impetuosior hic motus, ut finalis, dum summa illius constrictio in intestinis inferioribus incipit, sanguinem versus superiora potius restringit, quam quod hac ratione eum exprimere valeat.

§. XXIV.

Accedunt porro aliæ turbæ, in oeconomia motuum excitatæ, nimirum per venæ sectiones & scarificationes modo

modo neglectas, modo promiscue & tumultuarie institutas; crebriores in matrimonio rixoso occasiones irascendi; quæ quantum corpori, & in primis capiti noceant, motus in eodem perturbent, & cephalalgia & hemicrania ansam præbeant, quum supra fusius disserui, dedita opera hic plura non addo, quippe ex illis satis clarum est, multum ad cephalalgiam non fovendam solum, sed ad impetum fortiozem hemicranicum inducendum omnino valuisse. Nec parum in rem eandem contulerunt febris acuta ex quacunque tandem causa exorta & in schema lentescens transiens, item quartana ex terrore & refrigeratione inducta, & postea per varia incongrua remedia, typum per se legitimum necdum servans adhuc magis turbata, & tandem per chinam plane suppressa: & vehementer persuasum mihi habeo per metaschematismum motuum febris acutæ, tametsi in historia specialiora non suppetant, illam itidem male esse tractatam. Rem omnem tandem confecit pessima simplicis cephalalgia & odontalgia in sinistro latere per adstringentia & septica tractatio, quæ ægram in hemicraniam coniecit grauissimam.

§. XXV.

Profecto hic casus sensum naturæ circa curationes incongruas declarat quam luculentissime. Medicamenta enim quum relativam habeant efficaciam, seu operentur secundum receptivitatem sui, hoc est, illorum operatio naturæ *αυτοκρατία* subiaceat, quippe quæ illis, prout corporis salutis conservandæ accommodata sunt, secundum sufficientem diuinitus insitam notitiam utitur; hinc per sensum vitalem, in morbis multo subtiliorem, omnia sive intrinsecus assumpta sive extrinsecus applicata

obtem

diju-

diudicat, & si incongrua deprehendit, in alia omnia potius discedit, quam quod ea sequatur. Idque duplici potissimum ratione fieri solet; aut enim per *αμεθοδικαν* medendi in timorem, angustiam, tristitiam coniicitur, & sic desperabunda motuum eluctatoriorum pertæsa succumbit & illos motus suspendit; aut iniuriæ, corpori illatæ, impatiens atque in iram, furorem excitata, præsertim conspirante temperamento cholérico, quia hac non successit, rem alia via aggreditur, novum motuum modum molitur, graviora infert symptomata; paucis ut dicam, in motus impetu peccantes & a fine mirum quantum aberrantes ruit, illisque, vano licet conatu, pertinacissime inhæscens omni impetu sævire pergit. Quæ disputata si ad præsentem in subiecto nostro eventum applicaverimus, peculiare *iracundiæ vitalis* argumentum deprehendimus, quum natura per *αμεθοδικαν* indignabunda motibus hemicranicis per tot annos, tametsi nihil promoverit, ægram obstinato ausu gravissime exercere contendit. *Conf. B. STAHLII dissert. de curationibus incongruis; de sensu natura circa curationes incongruas; Illustr. MODERATOR. dissert. de morbis laboriosorum chronicis; Illustr. ALBERTI de sensu vitali.*

§. XXVI.

A quibusnam igitur causis occasionalibus atque impulsivis hic affectus hemicranicus duxerit initium, in antecedentibus ad historiæ filum demonstrando & interpretando satis persequutus sum; quanta vero intercedat differentia inter causam impulsivam atque efficientem, velle logicis ac physiologicis pervulgatum est. Iam quæritur, utrum idem affectus adhuc a causis materialibus pendeat, an vero ab immaterialibus? præsertim quum omnis

F

meden-

medendi methodus huic rei sit superstruenda. Profecto! omnibus circumstantiis in ægra nostra sub hemicrania se offerentibus, & vel sub curatione etiam, (de qua infra, se exserentibus, probe & sine opinione præiudicata, vbi etiam sine ratione valere solet auctoritas, consideratis, patebit, nullam proprie causæ materialis accusationem hic invenire posse locum. Probationis momenta, quæ casus noster ipsiusque instituta curatio suggerunt, ordine iam prosequar. Ante omnia per experientiam hic pono, materialem partis cuiusdam noxam, si quæ adest, vti in ægra nostra visus in sinistro oculo læsio, sæpius per totam vitam sine incommodis & congestionibus subsistere posse, id quod porro per multas scirrhosas viscerum collectiones, cum primis in illis, qui laboribus se exercent, satis superque comprobatur. Hoc autem dum in subiecto nostro per mala achorum, narium hæmorrhagiæ aliaque tentamina secus factum sit, progredior ad rationem, quæ motus consuetudinem, per vitalis iracundiæ commotionem inductam, clarissime evincit. Hinc ita ratiocinor. Si motus hemicranicus in ægra nostra ab iracundia naturæ vitali, tamquam re immateriali, occasione licet incongruæ cephalagiæ tractationis, atque hac idea pertinaciter adhuc durante sustinetur, sequitur illum a causâ immateriali dependere. Posito igitur sensu naturæ vitali, in primis circa incongruas curationes subtiliori, (*Vid. Illustr. ALBERTI dissert. de sensu vitali. Clariss. D. DVBINSKI dissert. de reminiscencia vitali quatenus causa morborum,*) dispalescit, per historiæ circumstantias, non priorem solum, sed posteriorem etiam propositionem quam maxime accedere ad veritatem. Hic enim nobis non contrarium est illud: vbi motus præternatu-

naturales, ibi causæ materiales, & numquam illa absente motus præter naturam observari. Est ita quidem plerumque, sed non semper; natura raro certamen ludicrum sine illa excitat, tametsi etiam sit putatitia, id quod multis exemplis posset comprobari. Attamen per experientiam novimus, quid possint animi pathemata, naturæque ob incongruas curationes obstinatæ sæpius apprehensiones, præfigurationes atque æstimationes, præsertim in subiecto ad anomalos motus iam composito: adeoque plane non causam fallaciæ committo; etenim si visus in oculo sinistro læsio, dentium caries, mensium emanatio, & tandem difficilis eorundem fluxus, prava humorum qualitas & excedens eorundem quantitas, in causâ fuerint, quid quæso esset, cur non citius hemicrania ægram invaserit, & cur, quantitate discussa & qualitate correctâ, quod utrumque in ægram nostram, quotidie, vel sub doloribus, laboribus mercenariis se exercentem, vix cadere videtur, non imminuta fuerit, aut plane cessaverit? Accedit porro ad huius rei demonstrationem, quod motus versus caput directi, cephalalgici sub febribus, hemicranici per se aliquoties ad tempus interscenia fecerint, in primis sub graviditate; imo vero per nostram motuum magis, quam materiæ curationem insigniter iam sint imminuti; hinc profecto videor mihi videre, me per hæc omnia non sine ratione iusta certius concludere, aliud quoddam principium horum motuum hemicranicorum adhuc esse, quam meram materiam.

§. XXVII.

Iam vero ad rationem reddendam venio, quid sit, cur multi, in primis vero spasmodici, morbi determinatum,

tum, periodicum servant recursum, quippe ad quem præcedens doctrina manu quasi deducit. Profecto longe hic fugiunt, qui naturam seu principium sapiens, intelligens, ad certum finem motus instituens fugiunt. Fugiunt autem ex medicorum schola permulti, quippe qui per falsum canonem decepti, quod immateriale nullum commercium cum materiali habere possit, manibus pedibusque contendunt, periodorum morbosarum causam interno agenti principio, quod determinato tempore motus sapienter præstet, oppido perperam adscribi. Videas hinc, quam mirum in modum sese torserint, ut hoc principium gradu quasi deiicerent, deiectum proscriberent, atque alia omnia, si non plane absurda, tamen febriculosa, exulcerata & *αυσατα* in eius locum suffecerint. Ad logicam enim vulgarem ita concludunt: quicquid non credo, illud non est; quicquid non video, qua ratione fieri possit, illud non fit; quicquid receptis meis, aut meis propriis principiis, opinionibus puta, non convenit, aut ex illis commode explicari potest, illud etiam non est. Et hoc maxime contigit in febrium paroxysmis, consuetudine, memoria, intentione, dispositione hereditaria ac morborum periodis, quippe scandalis illis omnis curiositatis & omniscii scilicet intellectus humani. *Vid. Illustr. MODERAT. dissert. de vixis artis medicæ præcipuis.* Verum hæc negare & ita concludere, solita est ac trita via, pontique illi logico affinis, cuius odiosum est nomen. *Χρη* enim *σιγαῖν*, *ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν.* At sane valet etiam in arte salutari id, quod non nemo olim dixisse fertur de philosophia, vix ægrotum somniare quicquam tam absurdum, quod non aliquis dixerit philosophus, adde, quod non aliquis dixerit medicus. Sed de-
dita

dita opera veteres hic taceo, qui doctrinæ sanioris salubritatem per obscuriora tempora nec dum percipientes quotidie carduelibus sentibusque vescebantur, præsertim quum asperum illum victum calceatis istis suis dentibus facillime subigerunt, nec facile aliquis est, qui talia proferre conaretur, nisi adiiceret: risum teneatis, amici. Nec in scenam producam recentiorum futilis theoriæ nimis obscuris atque inutilibus argutiis contortiplicata dogmata, quippe vel eorumdem hodiernam scholam medicam maxime pudet; sed simplicis veritatis amans ac studiosus recentissimorum, qui sapientiores hac in re sibi videri volunt, placita pro viribus paullulum excutere periclitabor. Attamen nemini proprie vim faciam, sed per se tantum rem proponam. Interim vero non possum, quin ingenue profitear, *ακροσµατα* esse *ανοσοδοκτικα* *και* *ανευ* *λογων*, quibus permulti docentium adhuc hodie in hac doctrina delectantur, nec magis laudem mereri, quam otiosa eorum sollertia, qui psittaco expediunt suum salve, picasque docent verba humana conari. Scire est rerum causas perspectas habere veritatesque ex principiis, tamquam ex fonte suo, derivare. Activitatis spiritualis cognitio motuumque in machina nostra ab eadem dependentium nexus est præclara illa cynosura, ad quam dirigentes cursum syrtes illas ac scopulos, in quibus tot alii fecerunt naufragium, facile evitamus; est lapis Lydius, quo adhibito de morborum indole, de motibus, de rationali curatione dextre iudicare possumus. Et quo iure mechanicorum filii nos fere cum doctrina nostra adigant illi fæci hominum, cui cum poëta VENUSIANO recte acclames:

Odi profanum vulgus, & arceo.

F 3

Et

Et nos esse medicinæ hæreticos, eductis in aciem integris triariorum turmis confirmare contendunt. Sed vereor, ut quicquam iis insit, quod causam nostram iugulet. Et quamquam ipsi in alia omnia iverint, an vero nos ita stulte aliorum glebæ adscripti sumus, ut crux, vel faltem lautumiæ nobis iniungendæ sint, si de investigandis rationibus causisque ingenuis contra eorum præcepta falsissima sumus solliciti? Plane non sumus in eorum numero, quibus placet servile illud: *αυτος εσθα*, quod Pythagoræos adversariis, a quibus premebantur, tamquam Gorgoneum caput obvertissè veteres quidam memoriæ prodiderunt.

§. XXVIII.

Sed accedo ad rem ipsam. In Consideratione corporis atque oeconomiae animalis duo præcipue momenta consideranda sunt, *materia* scilicet & *motus*, seu quod idem est, *partes* & *actiones*. Quam bene autem plurimi medicorum memoria nostra vel clarissimi & principes ad duo hæc momenta respiciant in præsentem materiam, iam videamus. Ponunt autem in hanc rem legem naturæ universalem, & probe illam præcipiunt custodiendam, quia multorum tam in aliis morbis generatim, quam speciatim in periodicis phænomenorum explicationi vnicè inserviat. Est vero sequens: *Fluida & solida ex repetitis motibus & consuetudine talem acquirunt naturam ac dispositionem, ut facillime eisdem motus repetant.* Verum istane ita nude philosophari sufficit, quæ implicant? Etenim

*Hæc mihi si Delos Dodonaque diceret ipsa,
Esse videretur vanus uterque locus.*

Adesto, & mecum adverte animum, rem demonstrant.

Omnes

Omnes affectus, qui per solidarum & fluidarum partium motus repetitos & consuetudinem acquisivere talem naturam ac dispositionem, vt facillime eosdem motus repetant, seu quod idem est, periodici sunt, habent suum fundamentum in motibus spasmodicis; quum vero motus spasmodici inæqualem sanguinis circuitum efficiunt, eiusque porro sunt indolis, vt iis partibus, ad quas ingens sanguinis & humorum copia cum impetu fertur, ob fortem fibrarum attritionem & allisionem & fluidissimas succi nervosi particulas dissipatas inducunt debilitatem, tonum ac robur enervant, id vero non continuo præstant, sed interiecto tempore, sequitur inde, vt fluida & solida ex repetitis eiusmodi motibus spasmodicis & consuetudine talem acquirant naturam ac dispositionem, vt facillime deinde motus repetant, adeoque morbos constituent periodicos. Hinc quo vehementiores spasmi, quo maior congestio; eo plus dissipatur succi nervosi, eo maior atonia, eo citius colligitur stagnatio, corruptio humorum, eoque maturius redeunt spasmi motusque secundum naturam partium ac dispositionem hanc acquisitam repetunt. Et hinc breviores explicandæ periodi. Contra si horum omnium obtinet contrarium, longioris recursus fiunt periodi. Quasi vero hoc esset demonstratum. Nonne omnia in circulum eunt & a veritate facti maxime sunt aliena? Hoccine est philosophari? Aut quidlibet sequitur ex quolibet? Fluida & solida ex motibus repetitis & consuetudine talem acquirunt naturam ac dispositionem, vt motus eosdem facillime repetant. Ergo periodi sunt aliquid materiale, physico-mechanicum; ergo morborum periodi sine aliquo scopo aut destinato fine ita celebrantur,

tur; ergo fluida & solida ex se, per se & pro se hæc omnia exsequuntur. Quid igitur noui? Nonne hæc philosophia redit ad veterum quisquilias? Oppido autem esse falsam hanc doctrinam, ex eo liquet: Pone currum optime instructum, cuius fluida picea & solida lignea & ferrea ex repetitis motibus equorum spasmodicis ac consuetudine talem naturam acquisiuit ac dispositionem, vt motus repetat, & considera, vtrum demto auriga rectore, demtis equis currat, vtrum motus repetat? Adfuerunt motus repetiti & consuetudo; adest natura ac dispositio currendi. Profecto eodem modo comparatum est ratione machinæ humanæ, demta enim natura rectrice omnia vana & irrita sunt. Excusiam igitur totam rem propius ad veritatem affirmans, periodos & typos esse motus modos, motus autem in corporis œconomia etiam præter naturam fiunt propter materiam & quidem secundum eius condiciones. Iam vero quum motus propter materiam fiant, sequitur, primum id factum fuisse physico-morali proportionem; motus vero multis modis ad consuetudinem procliuus existunt. Hinc patet, periodos determinatas speciatim oriri a consuetudine, in primis animi pathematum eventui respondentes. Hinc concludo, a materiæ commercio & materiali alteratione prorsus alienas esse motuum periodos, tametsi non peruideam, qua ratione ipsi moventi a priori eiusmodi idea sit impressa.

§. XXIX.

Atque vt nunc prognosin specialiozem magis, quam generaliozem adiciam, dispalescit, haud facilem percurationis spem fieri posse in hemicrania pertinaci & vetustate iam confirmata, præsertim quum ita sit compara-

parata, ut ex medicis bene consultis, qui intelligit, affectus inveteratos, periodicos in motuum præcipue promptitudine esse positos, & vel levissimas patheticas occasionales provocaciones, quam veras causas, magis sequi, prorsus supprimendam & coercendam illam nemo cogitare possit. Eiusmodi sane mala tractatione & morbo & ægro pessime confuleretur. Quemadmodum enim hemicrania habitualis non raro per se mala importat consecutaria, ita maxime ineptis artificiis divexata transit in veram *arthritidem, podagram, paralytin, hemiplexiam, apoplexiam*. Expectationem potius exposcit, non quidem otiosam, sed talem, quo iusto temporis spatio, *evacuatis*, ratione & consilio, genuina & placida adhibentur medicamenta.

Peragit tranquilla potestas, quod violenta nequit.
 Quemadmodum autem affectus inveterati periodici efficacius præservantur, saltem præservatione fiunt mitiores, quam in ipsis demum insultibus curantur, & raro in universoni solide, nisi interdum in iunioribus, percurantur, quia omnem fere eludunt medicinam: ita præcipue de hemicrania habituali in feminis annosioribus, quarum menses iam cessarunt, id valere observatur. Interim tamen in omnibus subiectis non statim est plena spes abiicienda, interdum enim verum evadit, quod CELSVS scribit, si modo recte intellexerimus, *perinacia iuvantis malum corporis vincit*. De hemicrania autem ab hereditate originem ducente quid statuendum sit, indicatu non difficile est. *Eiusmodi enim morborum radix quia ita intima est, propterea ægerrime extirpari potest, & invenit omnino artifex in hisce habitualibus morbis*

morbis occasionem, qua artis suæ specimen edat, ut scribit Illustr. ALBERTI pathol. medic. fundament. pag. 120 §. LXXXVII.

CAPUT II.

THERAPEUTICVM.

§. XXX.

Restat, ut serio dispiciamus, quo tandem pacto per salutaris artis præsidia & auxilia, DEO, bene iuvante, effici possit, ut hemicraniæ huius curatio obtineatur, & ne quid gravius superveniat, præcaveatur.

§. XXXI.

Profecto ita versari hic convenit, ne ad motus erroneos adhuc magis turbandos aut plane supprimendos faciens quicquam adhibeatur, quum prævidere liceat, vix futurum esse, ut hoc sine insigni agrotæ damno fieri queat. Itaque erit prospiciendum, ut *materia qualescunque*, novas causas hemicraniæ fovendæ & augendæ suppeditantes, *removeantur*, motusque legitimo & securo modo *alterentur*.

§. XXXII.

Ad primum quod attinet curationis momentum, absolum quidem primo intuitu videri posset, si præcipimus remove, ubi nihil removendum, præsertim quum supra docuimus, hemicraniem hanc periodicam adhuc ab immaterialibus potius, quam materialibus dependere causis, adeoque hanc regulam practicam prorsus esse incongruam. Sed salva res est. Nam motuum in oeconomia vitali turbationes causis materialibus generandis

randis admodum favent. Quemadmodum motus naturales, ordine succedentes, corpus a putredine præservant, secretiones & excretiones promovent, & sic inutile ab utili separant: ita motus præter naturam impetuose agentes sic sunt comparati, ut humorum ^{ευποροσιαν} vitient, laudabilia in excrementa salino-sulphurea convertant. Et sic res se quoque habet in hemicrania frequentissime redeunte; sub illius enim molestiis & continua partium cephalicarum constrictione, nimio fluidarum attritu, inferioribus clausis, magnæ & copiosæ exoriuntur impuritates, & sic maior fit earum excernendarum copia. Præsertim quum natura semel per incongruas curationes indignabunda & in furorem acta motus non semper in rem aut vere aut putatitæ peccantem instituit, sed secundum æstimationem & activitatem erroneam etiam in eas materias, cum quibus ipsi in statu secundum naturam secerando & excernendo quotidie est commercium. Quid igitur consultius fieri possit, quam ut naturæ identidem ea omnia, quæ vlla ratione ipsam irritandi ansam suppeditare possunt, blande subtrahamus. Hinc sequitur, ut medicus etiam in morbis motuum placidam omnium excretionum promotionem sibi vnice habeat commendatam. Hisce igitur præmissis iam dicam, qua ratione ad regulam hanc therapeuticam ægra nostra a me fuerit tractata. 1) Propinata sunt ipsi medicamenta præparantia generaliora, scilicet bis per diem, ante meridiem & post eundem infusum ex radicibus polypod. liquirit. herbis veronic. betonic. basilic. thym. ligno sassaf. cortice cinnamomi, seminibus anis. & fœnic. Horum concisorum & mixtorum quantum coch-

leari potest capi, infundi iussum fuit aquæ bullientis tanta quantitate, quæ sex capitulis implendis sufficiat. Post lenem adhuc coctionem temperate calida aqua bibenda. Hæc potio non solum diluens & resolvens, verum etiam diapnoica egregie apta est ad humores corrigendos & excretoria aperta conservanda. Atque ut fibrarum tonus æqualis fiat ac conservetur, nec stricturæ rigidiores sub paroxysmis inolefcent, quibus sanguis versus caput, tamquam locum fallacis vacuationis, impetuosè impellatur, e re omnino fuit continuo prospicere. Eum in finem exhibitus est pulvis antispasmodicus ex Tartar. Vitriol. Nitr. depur. & Cinnabar. optima, cui etiam Conch. citrat. & Cascarill. adiciebantur. His ita in usum vocatis, & quidem præmissa & subiuncta medicina alvum vacuante ex Extr. Panchym. Croll. Merc. dule. & Refin. Jalapp. constante, hemicrania quatuor diebus effluxis non solum ratione statû temporis, quandoquidem iam citius, iam vero serius, idque frequentius, in scenam prodibat, sed etiam durationis & vehementiæ indole mirum erat immutata. Sed prius illius schema deinde mox rediit, & natura pristinæ impressionis ideam tenaciter vrgens eandem scenam ludere cepit. Vnde vero hoc? Ex insigni iracundia, cui per temperamenti rationem diutius inhærebat; verum ubi medicamentorum usu præscripto continuavit, brevi iterum ita se gerebat, uti paullo ante feci mentionem. Hæc dum gerebantur, 2) venæ sectio instituta fuit larga; illa enim effectus celeritate maxime se commendat, & multos morbos, quod per vulgus notum est, præservat, & præsentis *ευναιγως* instituta aut mitiores reddit aut plane tollit. Et *ευναιγως* recteque, illam in ægra nostra

fra

fra esse adhibitam, ex omnibus clarum est; natura enim superflui sanguinis molestia levata, facilius & promptius secretiones & excretiones suscipit & promovet, & ea, quæ ipsi sunt offensionem remouet. Et tamen hic effectus vacuationis non adeo statim præfens fuerit, siquidem fluente adhuc sanguine incidebat hemicraniæ defævientis articulus, & dolores potius augebat, quam mitigabat. Verum ubi statim post eam perrexit medicamenta, ad regulam alteram accommodata, secunda quavis hora per diem usurpare, effectus non contemnendus se obtulit.

§. XXXIII.

Progredior ad alterum curationis momentum, quod in *motuum alteratione* consistit, utpote qua princeps medendi finis continetur. Si alterandi modum curatius perpendimus, ille *ναρ εἶσος* corporis humani *fluidis* proprie tribuitur, sed tamen medici etiam *motibus* attribuunt alterationem; est enim alteratio actus, quo præcipue humores variis modis immutantur, corriguntur & præparantur, ut postea eo commodius & securius possint vacuari. *Vid. Illustr. MODERAT. Therap. gener.* Motus vero alterandi aut sunt deficientes aut excedentes. Iam quum in casu nostro adsint motus turbati, erronei, iique supra modum excedentes & contentiose eluctatorii, hinc facile dispalescit, tutam & proficuum esse alterandi methodum, qua natura ad eam iterum deducatur activitatem, quæ ad œconomiam animalem bene administrandam sufficit. Quam qua ratione in ægra nostra sim prosequutus, nunc brevibus exponam. Princeps usus fuit post venæ sectionem pulverum temperantium cum moderantibus coniunctorum,

rum, cum infuso diaphoretico & pillulis catharticis, utrisque supra descriptis. Temperantia erant tartar. vitriolat. nitr. depur. conch. citr. pulv. cortic. cascarill. cinnabar. optim. Moderantia autem spec. de hyacinth. M. P. de cynogl. Quibus iusta proportione mistis & per vicissitudinem quavis hora interdium adhibitis adiunctæ sunt ante cubitumpil. Wildegansf. ad IV grana sumendæ. Huius methodi ope id brevi effectum est, ut dolores ita remitterent, ut tantum secunda quavis hora diurna, idque longe mitius & brevius durando, quam antea, redirent, nocte ab illis plane liberata.

§. XXXIV.

Maximum igitur curationis momentum esset medicamentorum ita adhibitorum continuatio; etenim patienti utique expectatione progredi in talibus affectibus decere & oportere ægros, & aliquem tantum profectum a quo ad percuracionem gradus fieri debet, minime esse contemnendum, therapia rationalis legibus edocemur. Verum enim vero quia morosa ægra nostra, alius medici, qui restitutionem in integrum fieri negabat, verbis deterrita, medicamentorum impatiens & curationis pertasa expectationem fefellit, de percuracione non habeo, quæ, quam volupe etiam mihi hoc foret, cum benevolo lectore communicem. Interim ex effectu, brevi tempore iam impetrato, plane sperarem, futurum fuisse, ut huius methodi continuatione ægræ doloribus hemicranicis ita succurri potuerit, ut ipsi plenam gratulari potuerim valetudinem.

T A N T V M.

VIRO

VIRO
IVVENI PRÆCLARO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO
IOANNI CHRISTOPH. VLRICO
OPPERMANN

MVLTAM PREGATVR FELICITATEM

P R Æ S E S.

Quintus jam, CANDIDATE clarissime, circumagitur annus, ex quo salutari TE arti consecrando FRIDERICIANÆ nostræ municipatum obtinuisti, atque a prima vita academica fronte usque ad illius terminum talem TE prabuisti civem, qui non solum excitati ingenii viribus ornatus multis palmam præriperet, sed amabilem quoque animi sinceritatem, a vulgariis hominum turbis abstractam, quovis modo comprobaret. Id quod letus observare mihi contigit: quia museum TVVM in adibus meis mox elegisti totumque commorationis cursum perpetua industria & probitate adornasti. Qua de causa a primis initiis de successu studiorum TVORVM optime sperare & non solum TE diligere, sed omnino amare capi, & adiutorem in officio medico habere, commodum atque æquum reputavi. Qui possem itaque facere, quin amoris erga TE mei publicum exstare velim testimonium, & eum TIBI diem magnopere gratulari, qua vita academica auspiciatum imponis colophonem. Atque hoc præstas per ejusmodi thematis elaborationem, cujus quidem stili acumen passim obtusius optassem, ipsius autem argumentum & veritas facti multam omnino admirationem meretur. Hemicraniam puto, horologii cursum & ordinem accurate referentem. Obstupescens hujus campana sonitum, eumque admodum vehementem, aliquoties audivi, dignumque illico indicavi, ut clangorem quoque saum in schola medica publicum

blicum auditum eaderet. Quamvis enim a FRIDERICIANÆ REGIÆ incunabilis dogma illud salutare de immateriali corporis nostri motore perspicue traditum, inconcussis quoque argumentis confirmatum sit, quod motus in morbis, ut ut incommodi & molesti, remedium potius, quam ipse morbus censendi, ideoque directe non supprimendi, sed ad salutarem illum, quem intendant, finem, prudente ratione ducendi sint: tantum tamen abest, ut omnes hoc verbum capere potuerint, ut potius in contraria omnia abire plures videantur. Quare opportunitati studere, & singularia illa exempla, quæ auream istam veritatem præcipue illustrant, in commoditatem publicam convertere, & æquum & fructuosum esse duco. Qui alia hypothese de motuum microcosmi origine imbuti sunt, casum nostrum & articulum, si possunt, ita explicent & dinodent, ut & sibi & aliis, sine præiudicio iudicantibus, vere satisfaciant. Certe motuum ordinem, harmoniam, intercapedinem, recursum, singularem in quamlibet diei & noctis horam determinationem, perque plures annos in eandem scenam prodeuntium, si quis motori cuidam materiali adscriberet: nil aliud faceret, quam ut in veterum errorem relapsus materiæ habitum infusum, quo scite, ordinate, electe & sapienter agere possit, inconvenienter attribueret. Sed redeo ad id, unde digressus sum, & gratulantibus TIBI amicis multa mentis delectatione accedo. Deum precor, omnis salutis auctorem, ut auspiciis suis TE secundet, prosperaque reddat omnia, quæ in salutari arte conaberis. De qua successura felicitate maximam habeo fiduciam, immo gratiosa Dei promissione suffultus auguror, quod futurus sis Patriæ emolumentum, Familiæ honoratissimæ decus & præcipue Excellentissimi Domini Parentis Sovegyos peroptatus. Quam diu enim apud nos praxin medicam ad nutum meum exercuisti, egrorum miseriæ indefesso labore subvenisti, tuguria pauperum gratis visitaisti, sordida plurium ulcera propriis manibus deteraisti, atque in omnibus adeo expeditus & officiosus fuisti, ut certius prævideam, quod multum Tui desiderium in nostra civitate sis relicurus.

Vale diutissime felix & fortunatus. d. d. XIV. Jun.

M DCC XLVII.

VIRO
ET IN ARTE MEDICA, ET CHIRVRGICA
EXPERIENTISSIMO
IOANNI CHRISTOPH. VLRICO
OPPERMANN,

MVLTVM FELICITATIS AD DIES VITAE
ADPRECATVR

IOANNES FRIDERICVS SEIDENSTICKER,
OPPONENS.

Mihi de Epistola gratulatoria cogitanti in mentem veniebant Justi Lipsii verba in litteris ad Henricum Wiltium: Nonne apud Virum es, qui seculi decus? Vide, ne frustra. Sunt quidem maxima ex parte adhortatoria a scopo meo aliena; attamen non plane incongrua praesentis status TVI applicationi. TV enim, CANDIDATE DIGNISSIME, per quatuor fere annos apud PRAESIDEM ILLVSTREM, VIRVM, qui facultati medicae decus. Apud VIRVM pium Deoque concedentem, innocentia & vitae integritate inculpatum, amore & caritate in aegros inflammatum, scientia venerandum, prudentia conspicuum, artis operibus & exercitatione peritum, moribus admirabilem, ad sermones adpositum, ad responsiones expeditum, modestum, vitae moderatorem, morborum vindicem, publicae salutis vigilantissimum custodem. Paucis, apud VIRVM, quem medicum Scaliger (l. 3 de re poetica, c. 16.) desiderat, doctum, probum, lenem, diligentem, maturum, Deo fretum, non sua vel scientia, vel opera, vel successu tumidum. Fuisi apud EVM, nec frustra. Nam per hoc temporis spatium serie non interrupta ILLIVS lectiones frequentasti. Arrectis auribus praecepta & consilia eaque saluberrima audisti.

H

visti.

visti. Qui aliter fieri poterat, nisi, ut disceres. Nec in his subsistebas. Theoreticis exhaustis, TIBI nihil prius, nihil posterius, quam, ut datam praxeos exercende arripere occasionem, quoniam TE nequaquam fugiebat, solam cognitionem atque contemplationem, Cicerone iudice, ignavam ac inertem profususque mancam esse, si nulla comitaretur earum administratio, nec ad hominum commoda, societatemque tuendam esse compositam. Secundum Galenum TIBI constabat, illum solum fore medicum Τειδὸν ἔ consummatum, qui speculativam artis rationem ad experientiam perduceret. Hinc, cum PRAESES ILLVSTRIS tam medicae, quam chirurgicae praxeos ansam praeberet, TV ad utramque paratus, aptusque in campo medico ἔ chirurgico versabaris. Exinde, ut omnibus ad medicinam facientibus interesses, ab EXCELLENTISSIMO IVNCKERO dignus iudicaberis. Quo facto, quanta, quanta audivisti, didicisti! Nulla morbi historia notata digna, ἔ ad hunc VIRVM CELEBERRIMVM missa, (mittuntur autem creberrime) TE absente remissa est. Nullus casus fonticus adsuit, qui non TEcum communicatus, TE praesente enucleatus, dilucidatusque, per TE manam admoventem expeditus esset. Praeterea, mane usque vespere ante fores erant, quibuscum rem habebas. Alii ἔ nuntii ἔ adflicti, alii aliorum morbos referentes. Nonnullos medicorum ars superficialia inopes reliquerat, nonnullos chirurgorum manus imperita in deteriorem statum coniecerat. Singuli supplices TE adibant, se dexteritati TVAE committebant. Singuli etiam TIBI curae cordique erant. Propterea, omnem, ut dicunt, lapidem movisti, ut hic miseriarum confluxus diffueret, emanaret. Nec frustra. DEVS enim conatibus TVIS annuit, adeo, ut, nisi saevior morbus artis opem vicerat, medendo victor abires. Ac proinde TE morbi liberatorem, ἔ ab hoc, ἔ ab hac salutatum quam saepissime audivi. Neque aliter fieri poterat, cum TV de vera fundamentorum ἔ principiorum cognitione, multarum circumstantiarum

tiarum perceptione, microcosmi perspectione, varii naturæ cur-
sus observatione, & in omnibus prudenti cautione mirum in
modum sollicitus fueras. Ex his itaque, quorum testis ocula-
ris sum, TE CANDIDATE EXPERIENTISSIME, thema disserta-
tionis inauguralis facile seligere posse, ratiocinari mihi lice-
bat; hoc tamen ratiocinium haud firmo niti talo paulo post in-
tellexi. Nam TIBI, CANDIDATE DIGNISSIME, ratio erat,
quæ Nicæ, pictori olim nobilissimo. Ille solitus est dicere,
non minimam partem artis pingendæ in eo sitam, ut argumen-
tum eligatur pingi dignum, quodque spectantium oculos tene-
re sit idoneum. Censebas, maximum dissertationis inaugura-
lis scribendæ momentum in hoc ponendum, ut thema eligeres
pertractari haud indignum, quodque legentium attentioni
fomittem præbere sit aptum. Et profecto, quilibet medicorum
rationalium, hanc Dissertationem legens, aperte fatebitur,
eam non eiusdem surfuris & farinae esse, cujus quam pluri-
mas, quia non parvum sapientiæ & prudentiæ specimen exhi-
buisi, fontes & causas e latebris eruendo, in luce collocandi,
congrua remedia præscribendo atque ista rite applicando. Ea
autem ipsa, cum jamjam in multorum manibus, non habeo,
quod addam. Restat tantummodo, ut de dignitate doctorali,
quam quidem jam dudum promeritus es, TIBI gratuler. Faxit
itaque SUMMVM NVMEN, ut & in hac periodo omnia TIBI ex
voto cedant novæque gratulationes prioribus sub. exantur. Sic
valeas. Dabam in nosocomio Orphanotropheï Glauchensis
prope Halam d. id. ijs. Iun. M DCC XLVII.

